

2.^o Regulæ particulares, quid qualibet vox in sensu juris significet, traduntur *h. t.* et in iuribus suprâ allegatis, et magis lectione, quam interpretatione indigent: sic *novalis* in jure can. significat agrum, nunc primum ad culturam redactum: *pater* omnes ascendentes, natus mox mortuus, quasi non sit natus (*c. 1. 2. 3. h. t.*) Cetera leges in ipsis capitulis, ubi etiam in 6, Clem., et Extrav. Joan. XXII. reperies declarationem regulæ Sancti Francisci Patriarchæ Minorum. Percurrere etiam *titul. ff. de V. S.*, qui ad notitiam juris maximè est necessarius. De significatione clausularum, quæ in Constitut. pontificiis poni solent, sparsim hinc inde diximus et videri potest Barbosa tract. de clausulis.

TITULUS XLI.

DE REGULIS JURIS. ^a

267. *Nota I.* Regulam, à regendo dictam, definiri: *Sententia, quæ rem, quæ est, breviter enarrat (l. 1. ff. h. t.)*, seu quæ jus præexistens summarè refert. Aliter vocatur *canon, definitio, maxima, axiomata*: non enim ex regula fit jus, putà novum, sed ex jure præexistente facta est regula (*cit. l. 1.*) Sic quia §. 3. *Inst. de usucap. c. 5. et fin. de præscr.*, et alibi frequenter dicitur bonam fidem requiri ad usucapionem, inde nata est reg. 2. in 6: *Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit.* Et sic in ceteris regulis discurrendum.

Nota II. Regulas dividi in *authenticas*, quæ auctoritate legislatoris nituntur, uti Regulæ Gregorianæ, in Sexto et Pandectis *h. t.*; et *doctrinales* seu *Brocardicas*, quæ à Doctoribus privatis instar axiomatum inventæ et usurpatæ sunt. *Authenticæ* vim juris obtinent, et fundant intentionem allegantis, donec adversarius casum à regula exceptum ostendat. Frequentèr tamen fallunt; et ideo nulla regula sine exceptione. *Brocardicæ* non faciunt jus nec fundant intentionem allegantis, sed probabiliter, si materia subjecta patitur, admitti solent; alioquin plurimas exceptiones habent; v. g. *ubi est eadem ratio, eadem est juris dispositio; connexorum eadem est ratio, et idem jus; tacitum idem operatur, quod expressum; spoliatus ante omnia restituendus est etc.* Rursùm regulæ authenticæ, vel sunt *generalissimæ* vagantes per omnem materiam, v. g. *omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur*; vel sunt generales in certa materia, v. g. *beneficii Ecclesiastici, juramenti etc.*

Nota III. Exceptionis à regula tres esse præcipuos effectus:—1.^o

^a—Agitur de his in Sexto et Pandect. *cod. tit. ult.*

Exceptio non ampliatur, sed restringit regulam; nam universalitas ipsius deficit respectu casus excepti: et per hoc, quod aliquid regulæ detrahatur, non sequitur, regulam debere extendi ultra proprietatem suorum verborum.—2.^o *Exceptio declarat regulam*, nam ex qualitate exceptionis apparet, do quo genere regula disponat.—3.^o *Exceptio firmat regulam in contrarium in casibus non exceptis*; hoc est, quod casus qui excepti non reperiuntur, censeantur comprehensi sub regula. His præactis, breviter attingam regulas juris cononici: idque propter tyrones juris, quibus suadetur ab initio condiscere easdem regulas; alioquin plena regularum notitia prærequirit notitiam totius juris. Fuscus has regulas explicat Glossa Magna, Aug., Barb. et alii.

Regulæ in Decretalibus antiquis, seu Gregorianis sunt 11.

268. I. «Omnis res, per quascumque causas nascitur, per easdem dissolvitur»—*ex reg. 36. ff. Nihil tam naturale est, quàm eo genere quodque dissolvere, quo colligatum est. Valet in contractibus et obligationibus temporalibus à voluptate contrahentium dependentibus (reg. 36. 100. 153. ff.)* Fallit:—1.^o In his, quæ sunt juris divini: ut matrimonium et cetera sacramenta, juramenta, vota.—2.^o In traslatione Episcoporum, absolutione censurarum; quia sæpè ligat, qui solvere non potest; et solvit, qui ligare non potuit. Sic Archiepiscopus potest suum suffraganeum alligare Ecclesiæ, non tamen solvere (*c. 2. et fin. de traslat.*), et regularis confessarius potest à multis censuris absolvere; non tamen his ligare etc.

II. «Dubia in meliorem partem interpretari debent»—*ex cap. 2. h. t., et reg. 30. in 6, et reg. 9. ff.* Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur. Valet in actibus indifferentibus et ex genere suo permissis, et in his, quæ sunt securiora; sicut indubio securius est reum absolvere, quam condemnare (*c. 6. in fin. de fide instrum.*) Fallit in delictis et actibus ex genere suo malis, qui præsumuntur dolo malo fieri, donec contrarium probetur (*l. 15. §. 38. ff. de injur.*)

III. «Utilius scandalum nasci permittitur, quàm veritas relinquatur»—Reg. procedit de veritate bonæ vitæ, quia non licet peccare ad evitandum scandalum. At veritas justitiæ vindicativæ et disciplinæ, seu rigor in puniendo quandoque omitti potest, ne scandalum oriatur; et ideo permittuntur minora mala ad majora præcavenda (*c. 23. etsi l. q. 7. et Can. 25. d. 50. etc. Gloss.*)

IV. «Quod non est licitum in lege, necessitas facit licitum»—Nam necessitas non habet legem (*c. 2. in fin. de observ. jejun.*) Valet in lege positiva, præsertim humana; fallit in lege naturali, et quoties lex positiva violanda esset in contemptum potestatis Ecclesiæ (*c. 5. de his, quæ vi*)

V. «Quod latenter, aut per vim vel aliàs illicitè introductum est, nulla debet stabilitate subsistere»—Nam clam, per vim vel aliàs illi-

citè facta, sicut non obligant, ità non debent permanere: cùm contra jus, vel sint irrita, vel irritanda. Fallit in his, quæ fieri prohibentur, et facta tenent.

VI. «In ipso causæ initio non est à quæstionibus, seu tormentis et torturis inchoandum:»—*ex l. 1. ff. de qq. l. 8. §. 1. C. eod.* Nam ante tormenta seu torturam præcedere debet semiplena probatio seu præsumptiones sufficientes. Reus tamen, si suspectus sit de fuga, ab initio incarcerationi potest custodiæ causa.

VII. «Quidquid in sacratis Deo rebus et Episcopis injustè agitur, pro sacrilegio reputatur: quia sacra sunt, et à quoquam violari non debent.»—Nam violatores rei, loci et personæ, quæ sacra sunt, sacrilegium committunt, et jus publicum consistens in sacris et sacerdotibus offendunt (*Can. 11. d. 1. ex l. 1. §. 2. ff. de J. et J.*)

VIII. «Qui ex timore facit præceptum, aliter quàm debeat, facit, et ideo jam non facit.»—Procedit de timore serviliter servili, non filiali aut concepto ex motivo honesto, maximè supernaturali.

IX. «Defleat peccator, quia offendens in uno, factus est omnium reus:»—*ex Jacob. 2. et Can. fn. de pœnit. d. 5.* Fit omnium reus, ratione finis; quia etiam unum peccatum lethale impedit gratiam et vitam æternam: non tamen fit reus omnium ratione malitiæ et pœnæ.

X. «Non potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit et pastor nescit.»—Reg procedit de Episcopis et aliis præpositis animarum, de quorum manibus sanguis subditorum requiritur. Ignorantia eos non excusat; quia plerùmque supina est, cùm prælatorum sit inquirere in delicta subditorum; Gloss.

XI. «Indignum est et à Romanæ Ecclesiæ consuetudine alienum; ut pro spiritualibus facere quis homagium compellatur.»—Nam imponere pro spiritualibus onus homagii seu juramenti fidelitatis à vasallis in feudo Ligio præstari soliti, est manifesta simonia, cùm detur spirituale pro temporali. At juramentum obedientiæ, quod Episcopi et alii prælati præstant Sedi Apostolicæ, honestum est, necessarium hodie, et in Ecclesia usitatum (*Can. 1. et 4. d. 100. c. 4. de elect. etc.*)

Regulæ in Sexto Decretalium sunt 88.

DECAS I.

269: I. «Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine canonica institutione obtineri.»—Valet de beneficio in titulum obtento. Fallit in beneficio obtento jure proprietatis et administrationis, et quoad proventus Ecclesiasticos ex certa causa acquisitos etiam per præscriptionem (*cap. de jure patron. Can. 66. quicumque 12. quæst. 2. et Can. 61. possessione 16. quæst. 1. et Can. 12. si Episcopus 16. quæst. 3. etc.*)

Dices: Jus eligendi et præsentandi acquiri potest præscriptione (*cap. 55. de elect.*); ergò etiam jus beneficii.—*R. N. C.* Nam electio et præsentatio fieri potest nostris actibus; et ideo jus eligendi aut præ-

sentandi subest præscriptioni: econtrà institutio in titulo beneficii fit actibus alienis, scilicet superioris legitimi; et ideo non substat præscriptioni, nisi conformiter regulæ 36 Cancellar. Apostol. de triennali possessione; vel eo modo, quo Prælatus alter contra alterum præscribi jus alios instituendi (*cap. 18. de præscript.*)

II. «Possessor malæ fidei ullo tempore non præscribit:»—*ex cap. 5. et fn. de præscr.* Hæc reg. corrigit jus civ. quo ad continuationem possessionis non requiritur bona fides, neque ad præscriptionem longissimi temporis 30 vel 40 annor. (*Inst. de usucap. l. 7. C. de præscr. 30.*)—Nec obstat *reg. 74 in 6*; nam procedit de actu perfecto et completo, non verò inchoato, sicut inchoatur possessio ad usucapionem.

III. «Sine possessione præscriptio non procedit.»—Nomine possessionis venit etiam quasi possessio in rebus incorporalibus seu juribus (*cap. 19. de jurepatr.*) Unde quia laicus non est capax possidendi spiritualia, ideo præscribere nequit jus eligendi, instituendi, confirmandi clericos; benè verò jus patronatus seu presentandi, ad quod laici generaliter à jure habitati sunt.

IV. «Peccatum non dimittitur, nisi restituatur ablatum:»—*S. Aug. in Can. 1. 14. p. 6.* Reg. procedit de omni læsione reparanda, saltè in proposito seu affectu, si nequeat in effectu.

V. «Peccati venia non datur, nisi correcto:»—*ex Can. 2. 24. q. 2.* In temporalibus sæpè pœna dissimulatur, ne majus malum sequatur.

VI. «Nemo potest ad impossibile obligari:»—*ex reg. 485. ff.* Impossibilium nulla obligatio est. Sive quid sit impossibile *ex natura*, ut hominem volare, sive impossibile *de facto*, ut à mendico dari decies mille aureos, sive impossibile *de jure*, seu turpe contra jus divinum aut humanum, ut obligari ad furandum, fornicandum etc. Nam *quæ contra bonos mores fiunt, nec facere nos posse credendum est (l. 15. ff. de condit. institut.)*

VII. «Privilegium personale personam sequitur, et extinguitur cum persona.»—At privilegium reale inhærens castro, communitati, dignitati vel alteri rei transit ad successores; *ex reg. 196. ff. Privilegia quædam causæ sunt, seu rei, quædam personæ: et ideo quædam ad hæredem transmittuntur, quæ causæ sunt; quæ personæ sunt ad hæredem non transeunt.* Sic quia privilegium seu jus pallii Archiepiscopalis personale est, non transit ad successorem (*c. 2. de auctor. et usu pall.*); idem dic de privilegio competentiæ, dotis, et de privilegiis, quæ Episcopi pro sua persona solent impetrare à Sede Apost.

VIII. «Semel malus, semper præsumitur malus:»—*ex Can. 14. parvuli 22. q. 5.* Præsumptio ista juris est in eodem genere; quia ex malo fieri bonum, est facti, adeoque probari debet ad elidendam præsumptionem. Si autem delictum non præcedat, quilibet præsumitur bonus, donec probetur malus.

IX. «Ratum quis habere non potest, quod ipsius nomine non est gestum:»—(*l. 6. §. 6. ff. de negot. gest.*) Reg. Ista procedit:—1.º In delictis quæ non potest aliquis rata habere, si ejus nomine non sunt gesta: et

ideo, v. g. Titius non incurrit excommunicationem Canonis, si approbavit factum Caji, qui suo, et non nomine Titii clericum verberavit (c. 23. de sent. excom. in 6.)—2.º In obligationibus, et præjudiciis seu rebus odiosis: et ideo qui gessit negotia filii mei pecuniaria, non meo, sed filii nomine, non obligor ei in solidum, sed peculiotenus (cit. l. 6. §. 6.), etsi negotiorum gestionem comprobaverim.—Fallit regula ista:—I. In novo consensu confirmante; sicut Superior, vel cujus interest, confirmare seu consentire potest in factum alterius, quod alias vires non haberet; *Can. fin. 9. q. 2.*, ubi Episcopus dispensativè consentit in executionem ordinum, quos clerici ab alieno Episcopo susceperunt; et c. 3. de his, quæ à Prælat., ubi convalidatur alienatio à Prælato facta, si capitulum, superveniente consensu, eam ratam habuit; et c. 28. de elect. subsistit electio, si Canonicus spretus ei consentit; et l. 7. §. pen. ff. ad SC. Maced. consensu et solutione patris confirmatur mutuum in pecunia à filio acceptum etc.—II. Fallit in eo, ex quo jactura rei meæ sequeretur, nisi factum ratum haberem, ex l. 2. §. fin. ff. depositi. l. 20. pr. ff. de pignorat. action. l. 3. C. de rei vind., maximè, si æquitas id suadeat; ut si res mea, non meo nomine vendita, periit apud emptorem; tunc enim ratificare possum venditionem, ut pretium ab emptore obtineam (l. 9. ff. de negot. gestis.)

X. «Ratihabitionem retrahere, et mandato non est dubium comparari.»—Ne regula ista directè contrarietur priori, supplenda est, ut ratihabitio tunc mandato comparetur, dum quod ratum habeo, nomine meo gestum est (Gloss. hic, et Gothofr. l. 60. ff. de reg. jur. n. 25.) Valet reg. ista:—1.º In judiciis, re quasi integra manente: ut si dominus ratam habeat contestationem litis à falso procuratore factam, vel positiones aut responsiones suo consensu datas (l. 56. ff. de judic. c. fin. in. fin. de jurej. in 6.)—2.º In contractibus (l. 6. pr. §. 1. et seqq. ff. de negot. gestis l. 9. C. eod. etc.); an verò in tali casu gerenti negotium meum, à me ratificatum, competat actio mandati vel negotiorum gestorum, in effectu nihil differt, quia utraque actio ad idem tendit.—3.º In maleficiis seu delictis, saltè in quibus jus ratihabitioem pro mandato habet; reg. 152. §. 2. ff. In maleficio ratihabitio mandato comparatur. Sic ratam habens percussioem clerici nomine suo factam, excommunicatur (c. 23. pr. de sentent. excom. in 6.): non tamen fit irregularis, quia id in jure non reperitur. Item ratam habens dejectionem tenetur interdicto Unde vi (l. 1. §. 14. ff. de vi armat.)—Sed fallit regula ista in multis:—I. Si ratihabitio sit in præjudicium et contra jus quæsitum tertii, ut si dominus ratificaret gesta procuratoris falsi in judicio vincentis; nam exceptio falsi procuratoris opponi potest etiam post sententiam (l. 24. C. de probat. l. 1. pr. ff. quæ sent. sine appell.) Secùs si ratificatio solum præjudicium ratificantis contineat (l. fin. C. ad SC. Maced. l. 3. §. un. ff. ratam rem haberi etc.)—II. Si mandatum vel auctoritas per modum formæ ab initio requiratur (l. 25. §. 3. ff. de acq. hæred. reg. 29. ff. et reg. non firmatur in 6.)—III. Si principalis natura impeditus fuit ad dandum mandatum, sicut infans,

furiosus. Unde infans adultus factus ratificando homicidium nomine suo factum, non censetur mandasse homicidium; quia hoc ei erat per naturam impossibile.—IV. Fallit in rescriptis justitiæ ad evitandas multas fraudes (c. 28 in fin. de rescript.)—V. Fallit in plerisque delictis, ut L. Corneliæ de sicar., de falsis etc., nisi delicta essent pendencia, et ratificans concurreret ad eorum executionem: secùs non video, quomodo fictio à jure non expressa locum habeat in criminalibus.

DECAS II.

270. XI. «Cum sunt partium jura obscura, reo favendum est potius, quàm actori:»—ex reg. 125: favorabiliores rei potius, quàm actores, habentur. Exempla habes c. 13. indicat. 3. q. 9, et c. 6. ad fin. de fide instrum. etc.—Excipe, nisi actor persequatur causam favorabilem libertatis, matrimonii, dotis et testamenti (cap. 3. de probat. ante pæn. ff. de manumissionib., et Can. 3. si quis 33. q. 1. etc.)

XII. «In judiciis non est acceptio personarum habenda:»—ex c. fin. 3. q. 9, et c. 13. de judic.: putà ut judex in sententiando recedat à justitia; cum hoc grave sit peccatum. At in ceteris, ut assurgendo, sendo, pœnam mitigando, sæpe defertur dignitati et personæ (c. 15. non oportet dist. 93, et c. 1. d. 40. et c. 9. de off. deleg. l. 16. §. 3. ff. de pœnis etc.) Item in arbitrariis potest judex graciosus esse (c. 14. de offic. deleg.): ne tamen peccet contra cap. 1. de sentent. et re jud. in 6.

XIII. «Ignorantia facti, non juris excusat:»—(l. 2. 4. 7. 9. ff. et l. 2. 3. 10. 12. C. de J. et F. Ignor.) Facti ignorantia, dum quis sciendo legem ignorat, quid agatur, v. g. minorem esse, cum quo contrahit, excusat; quia facta, cum sint innumera, etiam prudentissimos fallere possunt.—Excipe, nisi factum notorium sit in vicinia (c. 8. de præsumpt.), vel ignorantia sit improbabilis et culpabilis, sicut c. 6. in lectum 34. q. 3. l. 36. ff. famil. herciscund. tit. C. de hæreditar. action. At ignorantia juris, dum quis leges communes ignorat, non excusat agentem; quia leges scire debuit. Hinc ignorantia juris non prodest in usucapionibus, contractibus et ultimis voluntatibus (l. 4. l. 9. pr. §. 3. 5. ff. de J. et F. Ignor. l. 16. G. de testam.)—Excipe: 1.º Personas, in quibus toleratur ignorantia juris: uti sunt milites, rustici, pueri, fœminæ, quibus ignorantia juris non nocet in dispendiis seu in amittendo suum, non tamen prodest in compendiis seu in lucrando (l. 7. 8. ff. de J. et F. Ignor.)—2.º In omnibus juris error in damnis amittendæ rei suæ non nocet (cit. l. 8.), et ideo ex ignorantia juris solvens indebitum, solum condicere potest; quia juris ignorantia suum petentibus non nocet (cit. l. 7.) Sed his legibus è diametro opponitur l. 10. C. de J. et F. Ignor., l. 9. C. ad L. Flacid., ubi negatur talis repetitio. Concilia, dicendo: priora jura Digestorum loqui secundum æquitatem naturalem, maximè pro foro interno, in quo nullus debet locupletari cum jactura alterius: leges vero ex Codice loqui secundum rigorem juris, et de conditione stricto jure competente: rigor autem iste non excludit im-

plorationem nobilis officii iudicis, præsertim Ecclesiastici ratione peccati, ut declaravit Innocentius III cap. *Novit* 13. *de iudiciis*.

XIV. «Cum quis in jus succedit alterius, justam ignorantiam causam censetur habere:»—ex *reg.* 42. et 156. §. 2. *ff.* Sic hæres rem defuncto commodatam vel depositam, cogitans esse hereditariam, bona fide vendere potest, et emptor eam usucapere (§. 4. *Instit. de usucapion.*); nam de facto alieno justa est ignorantio. Valet regula ista pro his, qui conveniuntur; non pro his qui agunt, quia isti debent esse certi de jure suo (*cit. regul.* 42. *ff.*)

XV. «Odia restringi et favores convenit ampliari:»—ex *l.* 155. *in fin. ff. h. t.*: in pœnalibus causis benignius interpretandum est. Nominè odiorum veniunt hæc pœnæ, obligationes, privilegia et dispensationes, quæ contrariantur juri communi et juri tertii, uti et privilegia ambitiosa in beneficiis. Nominè *favorum* intelliguntur concessioniones benevolæ, quæ nulli nocent, neque præjudicant, nisi concedenti. Nonnunquam odia amplianda sunt, si lex aliter non possit sortiri suum effectum (*c.* 17. *de sent. excom. in 6.*), et econtrâ favores restringendi, si incipiant esse noxii Ecclesiæ, bono communi, disciplinæ Ecclesiasticæ et regulari (*c. pen. de cler. non resid. c. 9. de decimis etc.*)

XVI. «Decet concessum à principe beneficium esse mansurum.»—Nam sicut jura, ita et beneficia principum firma et perpetua esse convenit, modò sint gratiæ factæ, et non tantùm faciendæ (*c.* 36. *de præb. in 6.*), uno actu consummata, licèt deinde causa cesset: secùs si pendet à causa tractum successivum habente: ut si quis dispensaretur à recitando breviario ob studia et labores, cessantibus studiis et laboribus, cessat vel suspenditur hoc privilegium.—Plura de his vide tit. *de privil.*

XVII. «Indultum à jure beneficium non est alicui auferendum, putà ab inferiori.»—Sic Episcopo indulgetur, ut tribus mensibus per annum à sua diœcesi abesse possit (*Trid. Sess. 23. c. 1. de reform.*); parochi, ut intra annum suscipiat presbyteratum (*cap. 14. de elect. in 6.*); mulieri, ut mortuo viro, statim intra tempora luctus nubere possit (*c. pen. et ult. de secund. nupt.*) Similiter conceduntur tempora dilationum, solutionum, appellationum, et alia passim in jure. At conditor juris, vel ejus successor beneficia ista tollere vel restringere potest: sic in multis casibus restringitur appellatio, privilegium ætatis, Scti Macedoniani etc.

XVIII. «Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit:»—ex *reg.* 29. *ff.*: quod initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere; et *reg. pen. ff.*: quæ ab initio inutilis fuit institutio, ex postfacto convalescere non potest. Intellige, si res maneat in iisdem terminis, in quibus fuit ab initio: secùs si illi adveniant omnia necessaria ad valorem. Solum ergò tempus ex actu invalido non facit validum; benè verò, si cetera necessaria cum tempore concurrant. Quo sensu explicatur *c.* 25. *Principatus. l. q. 1. et c. 9. de rescript. in 6. c. 29. de præb. in 6. l. 83. §. 5. ff. de V. O.* Et econtrâ pro

convalidatione actus stant *l.* 27. *ff. de ritu nuptiar. l. 6. C. de nupt. et can. 56. si quis rebus l. 2. q. 2. et c. fin. 16. q. 1. et c. 3. de his, quæ fiunt à prælato, et c. 11. de jure patr. et c. 9. de desponsat. impub.*

XIX. «Non est sine culpa, qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet:»—ex *reg.* 36. *ff.*: culpa est immiscere se rei ad se non pertinenti; ut si clericus exerceat chirurgiam vel ballistariam, et fortuito occidat aliquem: tunc enim non est sine culpa (*c.* 37. *d. 50. cap. 19. de homicid. etc.*) Non procedit ista regula, dum quis prudenter et peritè aliena negotia gerenda assumit; quia hæc ad illum pertinent ex charitate et officio, quod est inter hominem et hominem (*l. 5. c. de negot. gestis*): et ideo gerenti conceditur actio contraria negotiorum gestorum (*l. 2. ff. eod.*)

XX. «Nullus pluribus uti defensionibus, seu exceptionibus prohibetur:»—ex *reg.* 43. *ff. et l. 8. de exc.*: nemo prohibetur pluribus exceptionibus uti, quamvis diversæ sint, nisi lex impediatur (*cit. reg. 43. ff.*) Sic conventus iudicio noxali et de pauperie, vel super numerata pecunia, et convictus de mendacio, absque alia exceptione tenetur in solidum (*l. 21. §. 2. ff. de noxal. actionib., l. 1. §. 15. ff. si quadrupes paup. auth. qui contra propriam, C. de non numer. pec.*)

DECAS III.

271. XXI. «Quod semel placuit, ampliùs displicere non potest.»—Valet hæc regula in iudice electo (*c.* 4. §. *offeratur* 3. *q. 3.*), in prælato electo (*c.* 2. *dilectissimi* 8. *q. 2.*), in matrimonio, professione religiosa, sacris Ordinibus et in pluribus aliis. Fallit in iis, quæ mutationem admittunt ex causa superveniente, vel de novo innotescente (*c.* 4. *de except. c. 4. de elect. in 6.*): item si ex nova causa medicus, confesarius, parochus removendi sint à suis officiis (*l. 11. §. 3. ff. de munerib.*), et in omnibus, in quibus jus admittit pœnitentiam et mutationem: ut in appellationibus, testamentis, præsentationibus in patrono laico, libello judiciali, mandato, societate, deposito, sententia interlocutoria et pluribus aliis, quæ Glossa hæc fusè enumerat.

XXII. «Non debet aliquis alterius odio prægravari:»—ex *reg.* 74. *ff.* non debet alteri per alterum iniqua conditio inferri. Nam delicta suos tenere debent auctores. Sic propter delictum filii non excommunicatur pater; propter dolum compromissarii non puniuntur compromittentes (*c.* 1. *si habes* 24. *q. 3. et c. 37. de elect. in 6.*) Interdum ob atrocitatem delicti vel aliam justam causam alius pena vel defectu afficitur: sicut filii ob crimen hæresis vel læsæ majestatis à patre commissum: item in generali censura suspensionis aut interdicti innocentes prægravantur, nati extra matrimonium illegitimitate notantur etc.

XXIII. «Sine culpa, nisi subsit causa, non est aliquis puniendus.»—Sequitur *reg.* ista ex priori. Quandoque subest causa, cur quis sine culpa puniatur: sic maritus corruptæ fit irregularis; parochus incidens in morbum, tenetur portionem aliquam dare coadjutori; dominus tenetur ex delicto servi etc.

XXIV. «Quod quis mandato facit iudicis, dolo facere non videtur, cum habeat parere necesse:»—*ex reg. 167. in fin. ff.* Procedit de his, in quibus iudex habet potestatem: secus non paretur ei citra dolum: ut si iudex laicus præciperet clericum verberari, reum extrahi ab Ecclesia, vasa sacra diripere etc. (*c. nemo 7. de pœnit. d. 1. et c. 17. §. iudices, de elect. c. 5. in fin. de pœn. etc.*): tunc enim magis Deo, quam iudici malum imperanti parendum est.

XXV. «Mora sua cuiuslibet est nociva:»—*ex reg. 173. in fin. ff.*: unicuique sua mora nocet: quod et in duobus reis promittendi observatur. Morosus debitor est, qui à die, vel homine interpellatus, et possibilitatem solvendi habens, non solvit (*l. 5. ff. de R. C.*) Unde si post terminum solvendi res casu pereat, suo periculo perit in pœnam moræ culpabilis. Mora non purgatur, uti nec pœna commissa, dum ab ipso jure, pœnam imponente, dies præfigitur, sicut in *c. 64. longinquitate, l. 2. q. 2. et c. 7. de elect., c. 4. et fin. de supp. neglig. l. 23. ff. de O. et A. etc.*, nisi jus permittat purgationem moræ, et pœnæ evitacionem, sicut *c. 1. dist. 18, c. 1. d. 100. et c. 6. de reb. Eccl., l. 8. ff. si quis cautionib. etc.*

XXVI. «Ea, quæ fiunt à iudice, si ad ejus non spectant iudicium, viribus non subsistunt:»—*ex reg. 170. ff.*: factum à iudice, quod ad officium ejus non pertinet, ratum non est. Nam talis iudex, etsi bonum statuatur, si tamen excedat limites suæ potestatis, nihil agit (*c. 1. d. 96.*): ut si laicus favorabiliter disponeret de clericis vel Ecclesiis. Si tamen jura et facta principum laicorum recepta et canonizata sunt à jure pontificio, valent.

XXVII. «Scienti et consentienti non fit injuria, neque dolus:»—*ex reg. 145. ff.*: nemo videtur fraudare eos, qui sciunt et consentiunt. Procedit in rebus et juribus privatis, quibus aliquis cedere potest; non in jure publico, quod *privatorum pactis mutari non potest (l. 38. ff. de pact.)* Sic clericus consentire nequit in violationem sui fori, canonis, competentiae etc.; maritus in violationem thori; religiosus, pupillus, minor in alienationem rerum suarum.

Dices: Christus et SS. Martyres voluntariè consenserunt in mortem suam, et tamen facta est eis injuria à Tyrannis.—*R. D. A.* Consenserunt, conformando se voluntati et charitati divinæ, *C. A.* Transfereudo jus necis in Tyrannos, *N. A.*

XXVIII. «Quæ à jure communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda:»—*ex reg. 141. ff.*: quod contra rationem juris receptum est, non est producendum ad consequentia; et *reg. 162*: quæ propter necessitatem recepta sunt, non debent in argumentum trahi. Sic privilegium præsentando laicis concessum non debet trahi ad jus investiendi seu instituendi, eligendi, judicandi de rebus spiritualibus (*c. 56. de elect. c. 3. de judic.*) Sic etiam privilegia Ecclesiis concessa non trahuntur ad res patrimoniales clericorum quoad formam alienandi, jus restitutionis in integrum etc.

XXIX. «Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari.»—Et qui-

dem, si omnes tangat ut universos sub nomine collegii, debet capitulariter ab omnibus, hoc regulariter à majori parte approbari (*c. 1. de his, quæ fiunt à major.*): si verò omnes tangat ut singulos, requiritur singulorum consensus; cum jure suo nemo cedere teneatur (*c. 1. d. 54. l. fin. v. sed hæc, C. de author. præstand. l. 39. ff. de adopt.*)

XXX. «In obscuris minimum est sequendum:»—*ex reg. 9. ff.*: Semper in obscuris, quod minimum est, sequimur; et *reg. 56. ff.*: semper in dubiis benigniora præferenda sunt; et *reg. 168. ff.*: rapienda occasio est, quæ præbet benignius responsum; et *reg. 192. in fin. ff.*: in re dubia benigniorem interpretationem sequi, non minus justus est, quam tutius. Si non apparet, quid determinatum sit, neque id ex consuetudine aut circumstantiis colligatur, tunc minima obligatio, minima pœna, minima mensura, vel aliud quid minimum in *quantitatibus* determinandum est (*c. 18 de cens. l. 75. ff. de leg. 3.*) At in *speciebus* seu corporibus mediocritas spectatur, præsertim si electio sit penes creditorem, qui v. g. ex equis non eligit optimum, nec pessimum, sed civiliter illum, qui inter eos mediat (*hoc ejus 19. q. 2. et c. 1. de Off. Custod., l. 37. ff. de legat. l. 31. de auro arg.*)

DECAS IV.

272. XXXI. «Eum, qui certus est, certiorari ulterius non oportet.»—Sic canonici certi de morte Prælati, non sunt de ea certiorandi; bene verò vocandi ad diem electionis. Item quisque præsumitur esse certus de eo, quod publicè notum est, cum hoc non sit necesse singulorum auribus intimare (*c. 1. de postulat.*) Qui certus est ut homo, sæpè certiorari debet ut iudex, vel ad majorem cautelam (*c. 18. multi 2. q. 1. et c. fin. d. 11.*)

XXXII. «Non licet actori quod reo licitum non existit:»—*ex reg. 41. ff.*: non debet actori licere, quod reo non permittitur. Sic appellatio negata reo, etiam negatur actori (*c. fin. de mutuis petit.*) At reo plura conceduntur, quàm actori, ut majores dilationes etc.

XXXIII. «Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum:»—*ex reg. 75. ff.*: nemo potest mutare consilium in alterius injuriam. Sic canonici voluntatem mutare nequeunt in præjudicium electi (*c. 53. de elect.*), nec socius in re communi in præjudicium socii, venditor in præjudicium emptoris etc. At si juri quæsito alterius non præjudicatur, licet mutare consilium: ut in postulando, præsentando ad beneficium etc.

XXXIV. «Generi speciem derogatur:»—*ex reg. 80. ff.*: in toto jure generi per speciem derogatur: et illud potissimum habetur, quod ad speciem directum est. Sic rescripta specialia de hoc beneficio, de hac decima, derogant generalibus (*c. 1. de resc.*) Similis derogatio fieri potest in legibus, contractibus, legatis, substitutionibus etc. Huic videtur adversari *reg. 147. ff. semper specialia generalibus insunt, c. 19. non æstimemus 13. q. 2. l. fin. §. 1. ff. quæ in fraud. cred., l. 45. ff. de leg. 3.* Sed hoc procedit in ordinariis casibus; non verò extraordinariis, quæ